

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CXXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

anım per tetam Saxoniam commodius spargi poterit. Optarem etiam, vos in transitu apud singulos vivam Epistolam esse posse. Sic ad illos patebit vobis accessus, & si quid suspicionum in illorum animis lateat, possitis vos illis eximere, addita semper commonstratione de communi negotio concordia adjuvanda. Quod si quibusdam exosum esset meum nomen, potestis autoritate Nominis, vestrique Parentis illis fidem facere. Quominus fidem habeant clamoribus Heshusii. Quamvis caute vobis erit agendum. Omnino autem in transitu reddendo literas alloquamini D. D. Kemnitium Brunsvigæ, similiter & Lüneburgenses & Lubecenses, quibus omnibus salutem meo nomine dicatis & quæcunque exploraveritis, ad me perscribatis. Erunt vobis quædam devoranda, quæ tamen facile diluctis veritatis simplici narratione. Quod de proditoribus veritatis Wittenbergenſibus Doctoribus locutus sum, occasione oblata non dissimuletis. Quod si opus est publica apologia, non patiar illam in me desiderari. Postquam video, nullam amplius de Wittenbergenſibus speiri esse, quibus facta est frons meretricis. Bene & feliciter valete. Negotium diligenter agite & me de omnibus primò quoque tempore certioſem facite.

Jacobus Andreæ.

CXXI.

*S. D. Reverende & Clarissime vir, præceptor  
& patrone colende.*

**F**ilium DEI *ἀποστόλου πνεύματος ἡμῶν ἐν τῷ ἁγίῳ πνεύματι*, à cujus Genethliis, quæ salutis nostræ præsentis & æternæ exordium fuerunt, Annum novum recens in Ecclesia exorſi sumus, toto pectore precor, ut juxta dulciſſ. Psalmi promissionem: Plantati in domo Domini, in atriis domus DEI nostri floreant, atque etiam in senecta vigentes & florentes erunt: Tibi in hoc senectæ aditu, & laboribus ac morbis fractâ valetudine vires animæ & corporis conſervet, & longa vitæ spacia propter Ecclesiam addat, & annum præſentem faustum felicem, tranquillum & salutarem Tibi & honestiſſimæ matronæ conjugii tuæ, & ingenioſiſſ. ac optimaſſ. ſpei Filiis tuis, quos non privata tantum domus & familiæ veſtræ, verum etiam Eccleſiæ, quæ est domus DEI viventis, *τοῦ θεοῦ* fore, DEO benedicente, confiſimus, clementiſſime tribuat, & deliberationem noſtram, ad DEI gloriam, & Eccleſiæ utilitatem, & Filiorum tuorum animæ ſalutem, gubernet. Nam ut in Oratione, qua Pomerano, Crucigero, & Epino gradus iſte decretus eſt, dici meministi: Non ad opes, dignitatem aut volupta-

Iuptates, sed ad maximas ærumnas, ad miserimas curas, ad certamina & pericula omnis generis aditus est hic honor. Quæ tamen, exemplo Christi, Prophetarum & Apostolorum, qui nullis odiis aut periculis se à propagando Evangelio passi sunt deterreri, non defugienda esse legitime vocatis agnoscimus. Quod autem nuper ostendi, cupere me tibi, præceptori & patrono, de me & carissimo patre meo, ac tota familia nostra optime merito, vicissim gratitudinem & fidem debitam declarare, & omnibus in rebus, quæ à me proficisci possunt, gratificari: Idem nunc etiam repeto, ac re cum Decano collegii nostri D. Simone Pauli communicata significo, nos, etsi de legibus Academiae nostræ, quò ad ætatem & documenta certæ & legitimæ vocationis, & alia dispensandum sit, tamen propter filiorum tuorum, qui ante annos animumque gerunt, curamque virilem, singularia ingenii & doctrinæ dona, quæ ipsos omni diligentia, labore cura & assiduitate deinceps etiam exuscituros & aucturos esse non dubitamus, ac propter Judicii & morum gravitatem ætate maturiorem; non gravatè ipsis gradum summo proximum, quem collega quidam noster, qui aliquot jam annos ministerium in Ecclesia publicum & docendi functionem in Academia præclare sustinuit, proximo mense Aprili accipiet, una conferemus; ac ut dimidia ferè parte sumptuum, qui alioquin necessarii essent, retenta, Licentiatum mense Majo ad te redeant, & coràm tibi ornamento præsidio & solatio sint, DEO juvante efficiemus. Dispensabimus etiam de altera nostra lege, (quæ Licentiatos à nobis promotos nusquam alibi, quam in hac Academia, Doctores creari concedit) ac ut isthic, vel ubicunque postea velint, Doctoris titulo ornentur, permittemus. Mihi juxta Academiae leges proximo mense in circulari disputatione præsidendum erit, in qua, DEO volente, alter ex Filiis tuis publicè respondebit. Hortati eos sumus; D. Simon & ego, ut hos menses, exercitationibus pro concione & in Schola docendi, tribuerent. Quod tandem ab eis impetravimus, ut M. Erasmus Psalmum 72. se explicare velle ostenderit. M. Philippus Micheam Prophetam nunc exorsus sit. De cæteris rebus scribent ad te ipsi. Nam & Præfectus Arcis nostræ, de qua inter Principes & urbem litigatur, centum Taleros apud me, in usum Filiorum tuorum, deposuit, ac vicissim centum Taleros isthic suo ex sorore nepoti Conrado Resdorff, qui inter cæteros Germanos, Parisiis superiore ætate isthic effugit, tradi quàm primum, aut creditoribus ipsius satisfacere petit. Petunt etiam à me Sororis meæ Helenæ liberorum, utroque parente orbitorum tutores, ut pupillum suum Jacobum, bona ad literas indole præditum, tibi commendem, & ut in Collegio Wilhelmitarum locus ipsi esse aliquandiu possit, orem: ea in re, si futura ætate ad te veniet, ut quantum absque incommodo & molestia poteris, ipsi gratificeris, reverenter oro, ac DEUM precor, ut tibi ac tuis

ac tuis vicissim benefaciat, & multa ac magna in familiam nostram merita cumulate compenset. Bene Vale, Die 10. Januarii, Anno 1573.

David Chytræus.

CXXII.

*S. D. Reverende & clarissime Domine Superintendens, Patrone colende.*

**M**isi hoc Epistolion Tutoribus orphani nepotis mei ex sorore, Jacobi Aquilæ, ut occasionem te adeundi, cum Adolescentem isthuc adduxissent, commodiorem haberent. Quod autem aliis literis rogavi, ut beneficiis erga me & totam familiam nostram multis & amplissimis hoc quoque adjungeres, & Jacobo Aquilæ, quem ingenio literarum & virtutis capace esse intelligo, habitationem & victum in Collegio Wilhelmitarum vestro curares: idem nunc etiam repeto. Nec dubito te *ὁμοῦν ἰουδαῖος, ὁμοῦν δακρῶν, ἰουδαῖος τῶν ἁγίων* oblaturum esse. Si quid etiam pro victu numerandum est, non gravatè à Tutoribus vel me persolvetur. DEUM oro, ut tibi ac tuis vicissim benefaciat, & longa vite spacia, viribus animæ & corporis vigentibus tibi propter Ecclesiam addat. Bene vale, 20. Januarii, Anno 1573.

David Chytræus.

CXXIII.

*Reverende vir & clarissime Domine Doctor ac Superintendens.*

**G**ratiam tibi habeo, quantam maximam meus potest capere animus, pro literis humanissime ad me scriptis. Si qua in re benevolæ & piæ mentis significationem, & tibi, & filiis tuis, rursus probare potero, efficiam certe, ut intelligas studium & voluntatem, vobis gratificandi, mihi non deesse. Legi literas tuas, viro clarissimo & optimo, D. Doctore Davidi Chytræo, inscriptas, quibus exponis causas consilii tui, quo adductus, à nobis, qui sacram Theologiam in hac urbe rosarum, profitemur, petis, ut duobus filiis, M. Erasmo & M. Philippo Marbachis, eruditionis, pietatis, modestiæ & gravitatis laude ornatissimis, insigniâ & gradum Doctorum in Theologia, conferamus. Ea vero in re, tibi morem gerere, summa voluntate